



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 98. Sacrorum comitiorum initia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

cerabat, ac qualibet feria quarta a car-  
 nium esu abstinerebat, nimia tamen sim-  
 plicitas, facilitasque in eo carpitur, quo  
 vitio prædominante plus æque sese Hi-  
 spanorum studiis dicabat, ac literas,  
 ut vocant, monitoriales, ut supra me-  
 minimus, ad Franciæ Principes dabat,  
 quamvis rei exitus ejusdem intentioni  
 minime responderet: quocirca Histori-  
 corum plures etiam natione Itali de eo  
 scribere non dubitabant, quod Grego-  
 rius, quoniam rerum politicarum usu,  
 & constantia, ac firmitate in tot gra-  
 vissimis negotiis, ac iniquissimis tem-  
 poribus necessaria caruit, tantæ digni-  
 tati haud par esse judicatus fuerit, hinc  
 dum adhuc privatam vitam agebat,  
 longe pluris habebatur, quam postquam  
 sacre Sedi supremus Princeps præfuit.

## §. XCVIII.

*Sacrorum comitiorum initia.*

Die vigesima septima Octobris post-  
 quam sacri Collegii Decanus rem  
 divinam in divi Petri Templo perege-  
 rat, ac Ragazzonius Bergomensis Epi-  
 scopus ibidem de novi Pontificis ele-  
 ctione elegantem sermonem perorave-  
 rat, omnes Cardinales instructo suppli-  
 cantium agmine ad sacrorum comitio-  
 rum locum processerunt, eademque die  
 Sanseverinus, & Madrutius Cardina-  
 les

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1591.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1591.

les proponebantur, quin tamen quicquam hac in re decideretur: reliquum vero diei tempus excipiendis dicabant Oratoribus, quibus vespere circa quintam horam recedentibus conclavis portæ occludebantur. Feria quarta die vigesima octava ejusdem Mensis omnes Cardinales ad Sacellum Paulinum convenere, & decantato sacro solemni de Spiritu sancto una omnes sumpta sacra Eucharistia suffragia colligere cæperant, ubi triginta tres Cardinali tit. sanctorum quatuor Coronatorum, decem Cosmæ duodecim Paleotto, totidem Salviato, octo Madrutio, totidemque Aldobrandino, & quatuordecim Sanseverino suffragabantur, reliqui vero pauciora tulere suffragia.

Ceterum quamvis Hispani haud adeo impense primi hujus Cardinalis electionem urgerent, nihilominus cum plurimorum vota in eum concurrere cernerent, suam quoque operam ei addicebant: aliunde enim verebantur, ne hæc comitia diutius, quam priora, protraherentur, aut nuntius de Gregorii Papæ morte in Gallias deferretur, ubi exercitus a præfato Pontifice in Franciam destinatus vel prævalente metu, vel deficiente ære militari dissiparetur, adeo, ut eorum consilia, quæ adversus hoc regnum molirentur, evanescerent:

rent: eapropter pariter Cardinali Sancto-  
 rorum quatuor Coronatorum adhæsere,  
 eique plurium adhuc suffragia con-  
 ciliabant.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1591.

§. XCIX.

*Cardinalis tit. Sanctorum quatuor  
 Coronatorum in Papam electus  
 assumpto nomine Inno-  
 centii IX.*

Rebus ita dispositis Cardinalis Sfortia  
 altera die vigesima nona ejusdem  
 Mensis summo mane Mendozam, Caje-  
 tanum, Borromæum, Ascanium Co-  
 lumnam, Matthæum, Lancellotum,  
 pluresque alios rogabat, ut ipso comite  
 ad Montalti Cardinalis cubile acce-  
 derent: porro hi omnes inde unacum  
 illo ad cellam Cardinalis Sanctorum qua-  
 tuor Coronatorum pergebant, quo jam-  
 jam Sfondratus cum suis clientibus con-  
 venerat: quos cum ceteri omnes Purpu-  
 rati mox sequerentur, eorum duo præfati  
 Cardinalis brachia sustinentes illum ad  
 Sacellum Paulinum conducebant, eum-  
 que apertis schedis eligebant, quem  
 deinceps suo ordine tanquam electum  
 Pontificem salutabat: hic igitur solem-  
 niori veste indutus in Pontificio solio  
 confedit, a toto sacro Collegio pro more  
 honoratus: postmodum autem habitu  
 Pontificio ornatus, ac thiara capiti im-

Ciac. t. 4.  
 pag. 235.  
 Thuan. hist.  
 l. 102.

M 3                      posita